
1465

Petrus de Pnyewy Sedis apostolice Subdiaconus Prepositus Wladislaviensis Canonicus Reverendissimique in Christo patris et domini domini Johannis Dei gracia sancte Ecclesie Gneznensis Archiepiscopi et primatis ac
Regni polonie Cancellarii Vicarius in spiritualibus et officialis generalis. Honorabilibus et Circumspectis viris dominis [illegible] chori Cathedralis Cracoviensis necnon Vicariis parrochialis in Wyeliczka Ecclesiarum Ceterisque presbiteris curatis et
Non curatis per et infra Civitatem et diocesim Cracoviensem ubilibet constitutis presentibus requisitis Salutem in domino Et presentibus fidem indubiam adhibere. Nuper porrecto nobis ac per nos recepto Instrumento publico Manu et Signo Circumspecti Stanislai
Johannis de Kazanow clerici Gneznensis diocesis Imperiali auctoritate publici Notarii subscripto et consignato Appellacionis [illegible] ad sanctam Sedem metropolitanam ecclesiamque Gneznensem pro parte providorum [illegible] proconsulis et Consulum mechanicorum et Antiquorum tociusque
Communitatis opidi Wyeliczka Cracoviensis diocesis predicte et discreti Stanislai pistoris Rectoris Scolarum et Notarii opidi eiusdem Wyeliczka Et contra Venerabilem dominum Mathiam de Blandow Canonicum Cracoviensem et plebanum ecclesie in Wyeliczka a quibusdam
processibus monitoriis Sumas excommunicacionis in se continentibus Venerabilis domini Stanislai de Swyradzyge(?) Canonici et Officialis Cracoviensis generalis ad instanciam ipsius domini Mathie de Blandow adversarii occasione Scolarum et Notariatus opidi predicti Wyeliczka
in preiudicium prefatorum Consulum et Comunitatis emanatis ac aliis gravaminibus in huiusmodi appellacionis Instrumento latius deductis et expressatis Interiecte et interposite. Cuius quidem appellacionis vigore fuit nobis pro parte eorundem proconsulis Consulum et Comunitatis
opidi Wyeliczka principalium debita cum instancia supplicatum quatenus de remedio opportuno providere ac sibi nostras citacionis et inhibicionis ac Compulsoriales litteras dare et decernere dignaremur. Nos vero huiusmodi peticionibus iustis et racioni consonis annuentes
Et attendentes quod iusta petentibus assensus non est denegandus. Presentes nostras citacionis inhibicionis et Compulsoriales litteras in forma solita et fieri consueta decrevimus fore dandas damusque et decrevimus presentes. Quocirca vobis Executoribus supratactis et vestrum cuilibet
Auctoritate dicte Sedis metropolitane qua fungimur In virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis pena quam in vos et quemlibet vestrum trina tamen canonica monicione premissa ferimus hiis in scriptis nisi mandatis nostris huiusmodi parueritis cum effectu districte
precipiendo mandamus quatenus personaliter accedentes prenominatum dominum Mathiam de Blandow plebanum in Wyeliczka in hac parte adversarium Si eius presenciam comode habere poteritis alias in domo sue habitacionis si ad eam tutus vobis pateat accessus Sinautem extunc in vestris
ecclesiis publice alta sonorosa ac intelligibili voce moneatis citetis ut quod ad eius noticiam verisimiliter poterit pervenire Quem edicto pro tribus et peremptorie citetis. Quem presentibus nos citamus Ut coram nobis Gnezne in domo habitacionis nostre vicesima die a die execucionis
presencium si ipsa vicesima dies Iuridica fuerit alias prima die Iuridica extunc immediate sequenti qua nos ad Iura reddenda et causas audiendum Iudicio protribunali contigerit presidere hora terciarum vel quasi per se vel procuratorem in ipsa causa vult et se defendere
voluerit legittime compareat Ad dicendum et opponendum quidquid verbo vel in scriptis dicere sive opponere voluerit contra dictam nobis exhibitam appellacionem nostramque iurisdiccionem et ad impugnandum eandem Necnon ad procedendum et per nos procedi videndum ad
omnes et singulos actus et terminos Iudiciarios gradatim et successive usque ad articulum gravaminis in eadem appellacione descripti cognicionem et si Ius dictaverit Sentencie diffinitive prolacionem inclusive Certificantes ipsum citatum quod sive in dicto citacionis termino
comparuerit sive non Nos nichilominus cum parte comparente ad ea que Iuris fuerint auctore domino procedemus ipsius contumacia sive absencia in aliquo non obstante **Et insuper attendentes** quod lite et causa huiusmodi coram nobis pendente indecisa
nichil sit per quempiam attemptandum sive innovandum in eis. Mandamus vobis Executoribus suprascriptis sub pena excommunicacionis predicta Mandamus quatenus post lecturam dicte nostre citacionis execucionem Reverendo in Christo patri domino Dei gracia Episcopo Cracoviensi eiusque in spiritualibus
Vicario et officiali generali ac prefato domino Mathie de Blandow adversario principali aliisque spiritualibus et Secularibus iudicibus et personis vobis pro parte dictorum Consulum et Comunitatis opidi Wyeliczka principalium nominandis Auctoritate nostra inhibeatis
Quibus et nos tenore presencium inhibemus Ne ipsi seu eorum alter per se vel alium seu alios aut quascumque submissas personas directe vel indirecte publice vel occulte seu quovis alio quesito colore In causa et causis huiusmodi quicquam attemptare sive innovare
presumant seu eorum alter presumat In vilipendium dicte Sedis metropolitane et iurisdiccionis nostre contemptum prefatorumque Consulum et Comunitatis preiudicium et Iuris lesionem Alioquin si secus factum per quempiam fuerit id totum cassare irritare revocare
annullare et ad statum pristinum reducere curabimus Iusticia mediante **Ceterum** pro parte sepefatorum Consulum et Comunitatis principalium exposito acceperimus Quomodo memoratus Venerabilis dominus Stanislaus de Swyradzyge Officialis Cracoviensis
Iudex a quo eiusque Notarii et causarum scribe ac alie spirituales et seculares persone acta prime instancie actitata testium deposiciones litteras Instrumenta publica privilegia et alia Iura causam et causas huiusmodi tangentes et tangencia et sine quibus de
meritis cause eiusdem ad plenum cognosci non poterit in suis custodiis scriniis libris manualibus prothocollis ac penes se habent et retinent Teneantque retinent et habent Quocirca vobis Executoribus predictis Ut supra precipimus quatenus post citacionem et
inhibicionem huiusmodi personaliter accedentes ipsos dominum Officialem Cracoviensem ac eius Notarios et causarum Scribas necnon alias quascumque spirituales et seculares personas vobis propter ipsorum principalium nominandas moneatis et requiratis Quos presentibus Nos
requirimus et monemus Ut infra Duodecim dies vestram monicionem huiusmodi immediate sequentes Quos ipsis et eorum cuilibet pro trina monicione canonica et termino peremptorio omnibusque dilacionibus prefigimus et assignamus eadem acta prime instancie
actitata testium deposiciones litteras Instrumenta publica Notas et privilegia in veris originalibus seu transsumptis in publicam formam redactis et Sigillis autenticis sigillatis quodlibet cause eandem concernencia nobis afferenda eisque Consulibus et Comunitati
principalibus dent tradant et exponant seu eorum procuratori legittimo reponent realiter et cum effectu Salvo in salario Notariorum pro laboribus competenti Alioquin si secus fecerint seu eorum alter fecerit ipsos acta et alia predicta denegantes excommunicamus ipsosque
nomine invocato in hiis scriptis quos et vos sic excommunicatos in vestris ecclesiis singulis diebus dominicis et festivis inter missarum solempnia denuncietis ac denunciare curetis tamdiu donec a nobis aliud receperitis in mandatis De die vero execucionis presencium
et quicquid in premissis et circa premissa feceritis per vestras patentes litteras sive Instrumenta publica nobis fidem faciatis **In quorum** omnium et singulorum premissorum fidem et testimonium presentes nostras citacionis Inhibicionis et Compulsoriales litteras sive presens publicum
Instrumentum per Notarium nostrum causarumque et actorum huiusmodi coram nobis Scribam infrascriptum Scribi et publicari mandavimus nostrique Sigilli appensione iussimus et fecimus communiri Actum et datum Gnezne in domo habitacionis nostre Anno domini Millesimoquadringentesimo
sexagesimoquinto Indiccione [illegible] pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pauli divina providencia pape secundi Anno eiusdem primo die vero Sabbati sexta mensis Julii presentibus ibidem honorabilibus viris dominis Simone de Dzyrzyma(?)
[illegible] in Zabartschewo(?) plebano Andrea de Wangrowyecz(?) [illegible] in ecclesia Gneznensi Albertho de Gnydzewye(?) testibus circa premissa hora terciarum vel quasi.



Et Ego Johannes Andree de Borze(?) Clericus Poznaniensis diocesis publicus Imperiali auctoritate Notarius et coram memorato Venerabili viro domino Petro de Pnyewy Preposito
Wladislaviensi Canonico Vicarioque in spiritualibus et officiali Gneznensi generali facti huiusmodi Scriba Quia predicte Appellacionis presentacioni Citacionis Inhibicionis et Compulsoriarum peticioni
et decreto Aliisque omnibus et singulis premissis dum sic ut premittitur agerentur et fierent Unacum prenominatis testibus presens interfui Eaque omnia et singula sic fieri vidi et
audivi Ideo presentes Citacionis Inhibicionis Compulsoriarum litteras sive presens publicum Instrumentum manu alterius fidelis scriptum confeci et in hanc publicam formam redegi Signoque
et nomine meis solitis et consuetis Unacum appensione Sigilli memorati domini Petri consignavi roboravi In fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum

Occasione scholarum

Ego Albertus presbiter et lector missarum ad sanctam mariam in Wratt ... executus sum presens mandatum sabbatho in vigilia sancte marie magdalene introscriptum venerabilem dominum Mathiam de Blandow presentem ... in domo sue habitacionis apprehensum ... alta et intelligibili voce citando et ... presens ... in cuius fidem et testimonium ... manu mea propria ...

Ego Johannes ... [illegible] ... in Weliczka ... [illegible] ... publicus imperiali auctoritate notarius ... [illegible] ... et clerici ... honestis viris ... quas feci et exegi in loco ...

[illegible]

in causa

Citacio cum inhibicione proconsulis consulum et totius communitatis opidi Weliczka Stanislai presbiteri rectoris scole et Notarii communitatis contra dominum Mathiam de Blandow ... et plebanum in Weliczka obtenta

1 4 6 7 die lune ... mensis Augusti ... ad ... terminum ...

1 4 6 7 die ... mensis Augusti oblata

[illegible]

1465

drukowany w N[ro] 24, 25, 26 Dodatku z r. 1868